

I. N. I. C.
AD
MEDITATIONES SACRAS
SUPER
PASSIONE JESU
CHRISTI, DOMINI
NOSTRI ET SALVA-
TORIS UNICI,


CRASTINA LUCE
IN AUDITORIO MAIORI,
HORA MATUTINA NONA
INSTITUENDAS

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORES,
AMICOSQVE NOSTROS

PER OFFICIOSE ET AMANTER

INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Winhold/ Rector.



CYGNÆ,
STANNO FRIDERICIANO.

23.





Vam superioribus diebus inchoavimus materiam, jam pertextere animus est: quandoquidem in passione Salvatoris, cuius meditationem pie suscepimus, iræ gratiæque divinæ, non secus ac vitæ consolatorisque humanæ, speculum offendimus. Sed ex speculis eruditorum, quæ iram & favorem Dei, normam vitæ & solatia mortalium explicata dedere, brevitatibus causâ duo priora genera hoc loco placet attingere. Est igitur

I. SPECULUM aquarum (Wasser-Spiegel.) Hujus autor est M. Chritophorus Jrenæus, qui, ne officio suo, perinde ut nomine, solam portare pacem videretur, turbare scordiam hominis quasque sensu irarum divinarum extimulare sibi curæ habuit, exemplis in scenam productis inundationum, quarum enumeratione in propatulo esset, severitatem Numinis etiam undis imperare in calamitatem temporum, aquisque superfusus mortale genus plectere. Ita id, quod Poëtarum aquila optimum vocavit, (a) & ad restinguendam sitim eliciendamque è terræ seminibus fertilitatem datum est, casu cœlitis immisso nocentissimum & damnum evadit: quodque inveniendis speculis occasionem primam tulisse putatur, Jrenæo inventionem calamitatis atque interitus suppeditavit. Scilicet Narcissus imaginis suæ e fonte relucens captus ad spectu marcescit paulatim ac disperit; (b) at homines vitæ suæ desiderio tabescentes in aquis triste speculum fatorem sæpius inveniunt, quando aquarum cumulis & fluctibus suffocati cum gemitu planctuque miserabili moriuntur.

II. SPECULUM incendiolorum (Feuer-Spiegel.) Id operæ Johannis Aldenbergeri, strenui præconis Dei, debemus, qui nominati Jrenæi excitatus ingenio exemplam itidem conquirit variorum incendiolorum laudanda sane industria, laudante & conatum hunc Simfione Mencelio: quo testator esset iræ cœlestis memoria, constaretque, Supremum Numen etiam ad ultrices flammam provocari criminibus ac sceleribus nostris, & justa vindicta nec aris nec focis parcere, quin vel pulcherrima admirandique operis ædificia ac multo omnium amœnissima luctuosius involvere cineribus. Gratulandum autem Autori, qui non fomnia, aut aniles fabulas, vel quicquid alias insanum vulgus deblaterare solet, sectari voluit: sed probatis rerum documentis fretus sua fundamento satis firmo superstruxit. In prima parte libri annos duntaxat à Christo nato observat: in secunda etiam mensis cuiusque dies notavit: in tertia literarum retento ordine indicem adjicere instituit. De speculo igitur Aldenbergeriano dum recogito, incidit mihi speculum istorum, quod recenti memoria à magistris naturæ excogitatum est, ad fusionem metallorum aliorumque corporum ita fabricatum, ut corpus liquatum in vase per tempus aliquod in infusione detineatur, aut calcinati pulveres cineresve igne illo diutius urgeantur. (c) Hæc quam belle cum præsentis negotio conveniunt! Nostra pectora ferrea sunt; imo topium rigidissimum & Caucasum ipsum in pectoribus gestamus: rarus eorum numerus, quos meliore metallo finxit Jupiter. Mollescat igitur, Deo jubente, durities illa, & si beneficiis non potest, vel incensis ignibus cerea fiat & mitigetur.

III. SPECULUM ignis (Feuer-Spiegel.) Quod nomen Sigismundo Suevo, Freistadiensi, acceptum ferimus: siquidem ille septem testimonia in totidem concionibus e sacris literis conquirit, quæ de igne agunt: (d) ut metum hominibus oscitantibus incuteret, soporemque abstergeret, neque minus rationem doceret, quo pacto ignis in furore accensus in tempore exingui debeat. Pie vero de tremendo summi vindicis iudicio loquitur, cogitationesque pias e sacris paginis cum fructu eruit, neque sine ingenio vel applicat ignes illos divinos, vel amplificat. Prædicent naturalis scienciæ consulti specula sive vitra ustoria, quibus tanta possit inesse vis & efficacia, ut simul ac lignum foco admoveatur, qui à superficie vitri trium ungarum longitudine distet, statim flamma concitetur, tamen lignum aqua prius madefactum fuerit: plumbum & stannum non contemnendæ crassitiei confestim liquefat: lamina ferrea, cuprea & orichalcea in ea parte, qua ad focum adhibetur, mox excandescat, atque sine mora liquefat: lapis fissilis liquefactus in vitrum abeat nigri coloris, quod in fila deduci possit: vas argillaceum aqua repletum interim, dum illa vehementer ebullit, colliquescat: lateres cocti excandefacti in vitrum flavum mutantur;

(a) Pindarus, *Olymp. Od. 1.* (b) Ovid. *met. l. 3. fab. 6.* (c) Tom. 2. *magisterii nat. & art. Autore P. Francisco Tertio de Lanis,* (d) *Hof. 8. 14. Gen. 19. 24. 25. Lev. 10. 1-5. Num. 11. 1-3. Jud. 9. 46-54. Jud. 15. 1-8. 2. Sam. 14. 29-33.*

tentur; pumex autem diaphanum vitrum suppeditet: asbestus foco admotus expectatione citius in vitrum nigricans convertatur: plumbum liquefactum in pellucidum vitrum transeat: stannum autem primum in albissimum pulverem, deinde vero in vitrum commutetur: aurum liquefcens in vitrum colore rubinos referens redigatur: antimonium, dum in clauso vase comburitur, fumos emittat, qui collecti in subtilissimum albissimumque pulverem abeant: sub aqua ulnam alta pix, resina & sulphur liquefiant: lignum quoque & papyrus concrementur à radiis ab hoc vitro versus solem reflexis; (e) quod sane admiratu dignum existimamus. Noster tamen seipenarius simplex duplicatum illum virtute tantum superat: quantum æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt: quantoque majus est, speculo ignium cœlestium inspecto, timoreque adversus Deum concepto, contumaciam animi fregisse, quam vires naturæ.

IV. SPECULUM extremi judicii (Spiegel des jüngsten Gerichts.) Ejusdem Suevi studio prelo subjectum est. Hic Suevus harmoniam Evangelii & Epistolæ Dom. II. Advent. contemplatus, singula pene momenta judicii, prodromos & signa, ignem, citationem hominum, judicem in majestate apparentem, assessores, accusatores & testes, judicium ipsum & sententiam judicis, præparationem denique ad judicium perlustrando summa brevitate usus est, & quidem, uti ipse fatetur, in gratiam simpliciorum.

V. SPECULUM finalis retributionis tam bonorum operum, quam malorum. Petrus Reginaldetus, ordinis fratrum minorum, a quo elaboratum est, Athanasianum illud illustrationibus copiosis explanare quasque sæcundare an. 1499. ingressus est: qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala; in ignem æternum. Et nullum est dubium, tota mentis acie totisque viribus adhibitis scripsisse Petrum hunc, quicquid scripsit, neque sine magno labore diligentiaque, stilo haud ineleganti, ordine quoque decenti finem operi semel cepto imposuisse. Ipsa titulum series atque connexio dexteritatem quandam ingenii spirant. Etenim dicturus partim de pœnis inferni, partim de gaudiis paradisi, primum de loco paradisi differit; deinde de pœna damnatorum corporali, nempe de igne ardentissimo, de frigore acutissimo, de magno clamore doloris absque cessatione, de odore fœdo & multum horribili, de visione Dæmonum valde terribili, de fame crudeliter affligente, de siti similiter confligente, de confusione, de afflictione maxima in tactu. Tum ad pœnas inferni quoad animam digreditur, quarum rursus decem recenset, curentiam gloriæ, vermem conscientiæ, rancorem iracundiæ, tumorem superbiæ, livorem invidiæ, timorem pœnæ, certitudinem damnationis, defectum consolationis, mortis desiderium, verecundum stipendium, i. e. confusionem ex peccatis ortam. Sic igitur ad gaudia cœlorum transit, pari ratione ostendens primo locum paradisi; postea gloriam animæ, quam consistere ait in Dei nostri clara cognitione, in ejusdem tota dilectione, in perpetua & firma tentione, in vero gaudio & lætitia, in omnium rerum abundantia, in honore magno & insuperabili, in animarum decore mirabili, in pace interminabili, in satietate desiderabili, in felicitate invariabili. Postremo, interjecta resurrectione ac dijudicatione, corporum beatorum excellentiam subjungit, quam dicit manifestari per evidentissimam claritatem, per constantem impassibilitatem, per vigorosam subtilitatem, per velociorem agilitatem, per cœlestem habitationem, per vocalem collaudationem, per delectabilem visionem, per gratam nimis auditionem, per redolentem adorationem, per suavem degustationem. Quis non cupide quatuor has decades tum ad terrorem tum ad fiduciam humanam compositas legeret? quis non & materiam elaboratam & elaborationis modum laudaret, licet nonnulla in eo castigari mereantur? Quod si ergo urentium speculorum vires incredibilem in modum augeri possunt, si per duo specula, quorum alterum amplius, alterum angustius esse debet, e regione collocata, sed ad unam mentem emittentia radios, imago solis contrahatur: (f) quanto majori instinctu Christianus animus ad diligendum Deum inflammabitur, cum concisum speculum Suevi & Reginaldetti elaboratius ante oculos habuerit?

VI. SPECULUM utriusque religionis Christianæ Romano-Catholicæ & Confessionis Augustanæ. Istud inter alias lucubraciones præclaras Henricus Gebhardus,

(e) *Alb. erud. Lips. ann. 91. Nov.*

(f) *Alb. Lips. l. c.*

3X Ta 640 x 298 6700
dus, alias Wefenerus, J. U. D. & quondam Cancellarius Rutheno-Plaviensis, literis exaratum reliquerat: relictum postea M. Joachimus Cussovius, Caminensis Pomeranus, repererat. Cumque publica luce ulcerofo præsertim ævo suo dignum judicaret, donec integer Autoris tractatus de regimine & jurisdictione Ecclesiastica prodiret, factum est, ut epitome Gebhardiana velut speculum an. 1621. publice sifteretur. Neque quisquam miretur, libello tam brevi credenda potuisse comprehendi, quasi que uno conspectu ad legendum proponi: cum & speculum hominis, quod in oculo suo quotidie circumfert, pupillam intelligo, exiguum sane corpusculum, uti usus testatur, etiam res maximas & spatiosissimas referat.

VII. SPECULUM Ecclesiæ. Ab Honorio, Augustodunensis Ecclesiæ Presbytero, extructum est, viro & moribus & scientia & vitæ sanctitate apud suos conspicuo. Publicavit autem an. 1571. Balthasar Amerbachius ad sanctum Castorem Confluentiæ Vicarius. Habet illic lector sermones aliquot Evangelicos tam de tempore, quam de sanctis, præterea etiam quasdam admonitiones ad salutem animæ necessarias. Quod Honorius stilo tam simplici scripserit, quamvis divinarum humanarumque rerum scientissimus extiterit, si quem miratio fubeat, respondent ejus defensoribus, studiose ita eum fecisse. Imagines in speculis visas Empedocles dixit apparere ob effluxu, qui in superficie speculi coeant perficianturque ab igneavi, quæ à speculo excernitur propofitumque aerem, in quem effluentia feruntur, simul circummagat. Democritus, Epicurus imaginum subsistentia, quæ à nobis ferantur & circummagitatione subsistant in speculo. Pythagorei reflexione visus, qui cum intentus feratur ad æs denso lævique corpori occurrens, ab eo repercutiatur & in se redeat, ac simile quippiam ei accidat cum manu, quæ extenditur & ad humerum rursus reducit. (g) Certum est & exploratum, à Deo indulgentissimo proficisci vitas sanctorum in sacris præcipue expressas, imaginesque hujusmodi nobis omnibus ad imitandum expofitas, in quibus ut in nitidis speculis nos intueri debemus.

VIII. SPECULUM veritatis. Serenissimus Dux, Christianus Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis &c. an. 1633. à religione Lutherana defecerat, Pontificiæque dederat nomen suum, postquam in expugnatione Magdeburgensi captus, mox Ingolstadtium abductus, & Neoburgi Austriacorum in custodia detentus erat, Causas igitur in isto speculo, quæ eum ad hanc mutationem compulissent, enumerat decem, inter eas expugnatam Parthenopolim, ab eventu causæ modum æstimans. Sed quoniam in sententia adversarii referenda candor & fides, & in Autoris responsis studium veritatis desideratum est: jussu Seren. ac Potentiff. Regis Danorum à D. Casparo Erasmo Brochmand, in Reg. Academia Hassnienfi Theol. & P. P. speculum illud, perinde ut speculum Trinitatis ab aliis, (h) fractum, compertumque est, hujusmodi specula plurimam partem cum speculis Geomanticis comparari posse, quæ prima fronte aureos montes polliceri videntur, statim vero, re perspecta, vanitas semetipsam prodit. Etenim laudatissimus Brochmandus lucernam speculo opposuit, ad Petrinum effatum respiciens, sicut inscriptio refutationis declarat: *λύχνος ὁ λόγος θεοφωτιστικός ἐν ἀνυχθηῶ τόπω*, i. e. lucerna sermonis prophetici in loco illuminoso. (i) Addere volebam SPECULUM & exemplar Domini nostri Jesu Christi Tauleri. (k) SPECULUM salutis æternæ Joh. Rusbrochii. (l) SPECULUM Ecclesiæ Edmundi Cantuariensis. (m) SPECULUM bonæ vitæ Joh. Gersonis. (n) Verum rapit nos ad se speculum summæ perfectionis, unde nobis salus obrigit, passionem in nuo Jesu nostri: ex qua discipuli nostri

I. HEINRICUS GÖTZIUS, Neukirchenfis, speculum iræ,

II. JOHANNES GOTTHARD VOGELIUS, Schönheydenfis, speculum gratiæ,

III. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS KIRSCHIUS, Cygnensis, speculum vitæ,

IV. SIMON JOHANNES SCHINCKIUS, Werdenfis, speculum solatii, pro virili sua brevibus meditationibus monstrabunt. Hæreat perpetuo in animis nostris amor crucifixus! P. P. Cygneæ d. 5. Martii An. 1705.


(g) *Plur. de placit. Philosoph. l. 4.* (h) *Quensied. Theol. Didact. Pol. P. 4. c. 11.* (i) *1. Petr. 1. 192*
(k) *Bellarmin. d. scriptor. Eccles. ad an. 1350.* (l) *Bellarmin. l. c. ad an. 1380.* (m) *Labbe dissert. Histor. p. 271.* (n) *Labbe l. c. p. 581.*

nc.

FK.134.
101

Specula historica.

IIa
640




I. N. I. C.
AD
MEDITATIONES SACRAS
SUPER
PASSIONE JESU
CHRISTI, DOMINI
NOSTRI ET SALVA-
TORIS UNICI,

CRASTINA LUCE
IN AUDITORIO MAIORI,
HORA MATUTINA NONA
INSTITUENDAS

VENERANDOS DNN.INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORES,
AMICOSQVE NOSTROS
PEROFFICIOSE ET AMANTER

INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Winholt/ Rector.



C I G N E Æ,
STANNO FRIDERICIANO.



23.